

Neo-Latin poem – Adults

Tityrus et Mopsus

- T. Hinc inter corylos, umbrosa cacumina densas,
nos cantare pares quoniam convenimus ambo,
dicamus laudes heroum ut, Mopse, solemus;
tempora transibunt sic laeta canentibus; et nunc
dic, age, quos nostro celebrari carmine sumes. 5
- M. Tityre, nunc reddantur eis pia munera laudum
otia qui dederint nobis placidamque quietem;
scilicet illorum resonant encomia silvae
qui dignabantur regni fulcire ruinas. 10
- T. Tanta haud convenient humili tenuique cicutae,
sed quoniam in magnis dicunt, voluisse sat esse,
ipse tuas, Gulielme, canam laudesque Mariae,
nam quos iunxit amor nemo seiungere debet. 15